



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. Diuiditur suppositio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

ita prius insinuat. Animaduertendum est tertio, contra alios, vnionem supponere, quia cum duo significet, nimirum hanc vocem, *est*, & identitatem obiectiuam ei respondentem, pro vtrauis poterit supponere. Animaduertendum est quarto, aduersus nuperos quosdam, scripta etiam & nutus supponere, cum sint termini externi, haud secus ac voces. Tandem animaduertendum est contra Arriagam disput. 1. Summ. sect. 4. voces extra propositionem minime supponere, eo quod ad quoduis suum significatum indifferentes sint, & neutrum pro alio ponant, vialicuius copulae enuntiatricis: quod etiam à posteriori suadeo, quoniam hæc vox, *homo*, extra propositionem non supponit simul materialiter, & formaliter, cum sint oppositæ suppositiones, adeoque tales quæ vel non possint, vel certè non debeant eadem termino conuenire; nec mere formaliter, nec mere materialiter, cum non sit potior ratio, quapropter vno potius modo, quam alio supponat; nullo igitur modo supponere potest.

CAPVT IV.

Diuiditur suppositio.

18 PRIMò in materialem, & formalem: materialis est, qua terminus pro se, & non pro alio significato ponitur; quod tripliciter vluerire potest; nimirum, aut ratione subiecti, quod se solum instar obiecti significat, vnde mirum non est, si pro se supponat, quidquid sit an pro alio etiam supponere possit, de quo inferius, veluti blitiri est vox: aut ratione alterius annexi ex parte subiecti, veluti, hæc vox homo est nomen, vbi particula, hæc vox, determinat hominem ad suppositionem materialem, & ab eo formalem excludit: aut ratione prædicati, veluti homo est nomen, vbi prædicatum determinat subiectum propositionis, videlicet hominem, vt materialiter, ac pro se supponat, alias eiusmodi propositio esset falsa. Suppositio formalis est propositio termini pro significato distincto à temetipso, veluti homo est verum animal, quæ propositio ne utiquam esset vera, si subiectum pro alio à se distincto non poneretur. Harum suppositionum meminit Augustin. in dialectica cap. 10. sic inquit: *Cum definitio quid significat nomen possum hoc ipsum exempli gratia supponere, quod dico nomen utique nomen est, hac enim lege per casus flectitur, dicendo nomen nominis nominari, &c. Item cum definitio quid significat dactylus, hoc ipsum potest pro exemplo esse: etenim cum dicimus, dactylus, vnā syllabam longam, & duas deinde breues enunciamus. At verò cum definitur aduerbium quid significet, non potest huius ipsum exemplo dicere: etenim cum aduerbium dicimus, hac ipsa enuntiatio nomen est. Ita secundum aliam notionem aduerbium utique aduerbium est, & nomen est: secundum aliam verò aduerbium non est aduerbium, quia nomen est. Item pes creticus quando quid significet definitur, non potest hoc ipsum pro exemplo esse: hac enim ipsa enuntiatio quando dicimus creticus prima longa syllaba, deinde duabus breuibz constat, quod autem significat longa syllaba & breuis, & longa est. Ita & hic secundum aliam notionem creticus nihil aliud est, quam creticus & dactylus non est: secundum aliam vero creticus non est creticus, quia dactylus est.* Suppositio materialis alia est intrinseca, qua terminus ponitur pro se secundum prædicata sibi intrinseca, vt homo est vox dissyllaba; alia extrinseca, qua ponitur pro se se-

cundum prædicata sibi extrinseca, & arbitraria, vt homo est nomen. Rursus suppositio formalis, alia est propria, qua terminus supponit pro significato proprio à se distincto, vt leo regit: alia impropria, qua terminus supponit pro significato improprio à se distincto, vt pratum ridet.

Animaduerto PRIMò, recentiores quosdam perperam in ea esse sententia, vt existiment, voces non significatiuas ex instituto solum materialiter supponere: tum quia pro aliis similibus formaliter supponunt, vt in hac propositione, omne blitiri est vox, de quo fufius lib. 6. tum etiam quia pro conceptibus supponere possunt, & debent; at conceptus ab eis realiter distinguuntur; supponunt ergo non tantum pro se, sed etiam pro significato quopiam à se realiter distincto, adeoque formaliter, & non materialiter tantum. Quocirca, sicut in hac propositione, *rationale ex parte modi non est animal*, vocula, *rationale*, supponit formaliter pro conceptu, ita etiam in hac, *blitiri penes id quod ex in mente responderi non est vox*, particula, *blitiri*, pro conceptu, & formaliter supponit. Animaduerto secundò contra Fonsecam, in hac propositione, *nomen est vox*, particulam, *nomen*, non supponere duntaxat formaliter; siquidem supponit pro se, propterea quod sit nomen adeoque materialiter: quod autem se ex instituto significet, parum refert; distinctio enim suppositionis formalis, & materialis, non est penes diuersum modum significandi, naturaliter, & ex arbitrio, sed penes diuersum significatum, distinctum videlicet à termino, vel indistinctum, vt ipsis, & ceteris est in confesso. Animaduerto tertio contra alios, in ea propositione proximè adducta, particulam, *nomen*, non supponere solum materialiter: haud enim ponitur duntaxat pro se, sed etiam pro aliis: quod autem se clarè reliqua nomina confuse repræsentet vt instant aduersarij, nihil interest, namque terminus supponit haud raro pro iis, quæ confuse significat, veluti in hac propositione, *homo est animal* in qua homo, omnes homines confuse sumptos comprehendit, & pro iis supponit. Itaque in ea propositione, de qua præcipue lis, vocula, *nomen*, partim formaliter, partim materialiter supponit.

20 Alio quoque sensu usurpari potest formalis suppositio, prout nimirum distinguitur non à materiali, sed ab identica: ita autem usurpata, dici solet esse ea qua subiectum, & prædicatum, pro diuersis significatis supponunt, vt rationale est risibile; identica verò ei opposita, qua pro eodem formaliter significato supponunt, vt rationale est rationale. Hinc diuiditur vltèrius suppositio, in communem, & singularem, seu discretam: communis est, quæ terminum pro significato communi, singularis verò, quæ eum non pro communi, sed pro singulari substituit: quapropter hæc posterior suppositio nuncupatur ab aliquibus discreta, eo quod vnum singulare ab alio discernat.

21 Nonnulli recentiores multi sunt in restringenda suppositione communi, aiuntque non esse eam quam nos definitimus, sed quæ respicit significatum commune aliquo signo affectum, ratione cuius nequeat in singularibus reperiri, aut de eorum singulis enuntiari: quamobrem in hac propositione, omnis homo currit, subiectum communiter supponit, secus vero in hac, *homo currit*. Ceterum magnopere displicent, quoniam suppositio singularis omnem terminum singularem respicit: quidni ergo suppositio communis omnem terminum communem, siue signatum siue nullo distinctum signo?

signo? Deinde, siue suppositio communis dicatur, *ut terminus pro suis inferioribus*, ut vult Toletus lib. 2. cap. 2. siue, *qua terminus supponit communiter*, ut vult Villalpandus lib. 1. 3. p. c. 1. siue, *ut terminus communis communiter retenti*, ut vult Sotus 2. p. c. 1. lect. 4. not. 1. quouis inquam horum modo; quemcumque terminum communem respicit. Denique, in hac propositione, homo est animal, homo non supponit singulariter; ergo communiter: nam hæc particula, *communiter*, & *singulariter*, vel *particulariter*; opponuntur immediate. At obiciunt aduersarii, suppositionem communem esse usum termini communis communiter retenti, in quo iniquiunt à Soto discrepat nullus; at ea definitionis particula, *communiter retenti*, indicat signum vniuersale, omnis, aut nullus, aut aliud simile. Sed in primis ea definitio non est vsque adeo ab omnibus recepta: Uterius, ea admissa, posterior particula illius non tam significat syncategorema, omnis, nullus aliudve simile, quam negationem syncategorematis particularis, hic, iste, aut alterius similis; & ita definitionem Soti explicat Hurtadus disp. 1. f. 4. §. 18. eamque æquiparat huic suæ; *est substitutio pro termino communi*. Proinde miror aduersarios plerorumque dialecticorum autoritate niti, cum potius eis apertè renituntur.

21 Adicienda etiam est alia diuisio suppositionis in naturalem, & accidentalem: illam definitio accensio esse eam, qua terminus ponitur pro suo significato, penes ea quæ ei naturaliter, seu essentialiter insunt, veluti homo est animal; accidentalem vero è contrario, positionem termini pro suo significato, penes illa quæ non naturaliter ei conueniunt, veluti homo currit, aut cognoscitur.

CAPVT V.

Uterior suppositionis diuisio in simplicem & personalem.

22 **S**uppositio simplex est positio termini pro suo immediato & formali significato; qua ratione in hac propositione, *homo est species*, homo simpliciter supponit, quia pro homine ut sic, non pro Petro & Paulo; alias propositioni falsum subesset, cum eorum neuter sit species. Personalis est positio termini pro mediato significato, ut *homo currit*, ubi homo non ponitur præcisè pro homine ut sic, aut in commune, sed pro Petro aut Paulo: quare defensus ad inferiora huius duplicis suppositionis infallibile discrimen ab omnibus traditur. Sic utramque fere definiunt Tol. lib. 2. cap. 1. Fons. lib. 8. cap. 24. contra quos cum Hurtado, & Arriaga deno agmine plerique recentiores inuehantur.

23 Primo; quoniam in his propositionibus, Petrus currit, Petrus est indiuiduum subiicibile, Petrus ex æquo ponitur pro suo immediato & formali significato, cum defectu inferiorum mediata, & materialiter significare nequeat; at non utrobique eodem supponit modo, sed in prima personaliter, & in secunda simpliciter, ut omnibus est in confesso; penes ergo mediatum, aut immediatum, formale, aut materiale significatum, haud est vtriusque suppositionis distinctio. Secundo, quia in his propositionibus, homo est animal, homo est species, homo idemmet immediatum, & formale significatum, videlicet hominem ut sic, sortitur; at in prima personaliter, & in secunda simpliciter supponit ergo &c.

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

24 Tercio, quoniam in hac propositione, Petrus est hic homo, Petrus supponit personaliter, sed non pro mediato significato, homine videlicet, ut hic possit mediate significari per notionem Petri, nam de homine ut sic ne æquiualeat, & mediate hic homo affirmatur, non enim licet inferre, aut concludere, Petrus est hic homo, ergo homo ut sic est hic homo. Quarto, quia nulla est natura communis obiectiue abstracta ab indiuiduis, ea enim abstractio à Platoniorum idæis, & figmentis parum vel nihil discrepat; suppositio ergo simplex nequit esse ea, qua terminus ponitur pro eiusmodi natura, quippe quæ plane repugnat.

25 Cæterum hæc argumenta non vrgent: ad primum respondeo, Petrum æquiualeat huic homini, ac proinde significare immediate, & formaliter hunc hominem, mediate verò & materialiter hominem: sicut enim ratio superior continet sub se rationes inferiores, ac proinde eas mediate, & formaliter significat, ita ratio inferior continet in se rationem superiorem, eamque ad se contrahit, unde eam mediate & materialiter significabit: quare in hac propositione, Petrus currit, Petrus supponit personaliter, quia non solum de immediato significato, videlicet Petro, cursus affirmatur, veram etiam de mediato videlicet homine, non formaliter, sed æquiualeat, eo quod ex hac propositione, Petrus currit, hominem currere rectè inferatur: aut in hac, Petrus est indiuiduum subiicibile, supponit pro immediato, & formali significato, non verò pro mediato homine scilicet, cum ex hac propositione, Petrus est indiuiduum subiicibile, hominem ut sic esse indiuiduum subiicibile nequitam possit inferri. Quid quod facile dici potest, eam diuisionem suppositionis in simplicem, & personalem esse subdiuisionem suppositionis communis; quare in propositionibus allatis Petrus nec personaliter, nec simpliciter supponit, eo quod communiter non supponat: Sed de hoc paulo latius infra in responsione tertij argumenti: quod anteaquam diluendum aggrediar;

26 Ad secundum respondeo, latam in eo committi æquiuocationem, qua nimirum significatio cum suppositione confunditur: Etenim in duabus propositionibus obiectis pro eo supponit earum subiectum homo, de quo formaliter, aut æquiualeat prædicatum affirmatur, non vero pro eo quod significat præcisè, quia illud significat in illa propositione, homo, est species, de solo homine in communi immediate & formaliter significato species prædicatur, non vero de inferioribus quæ species esse ne æquiualeat quidem asseruntur: in illa vero, homo est animal, de Petro & Paulo mediate & materialiter significatis animal prædicatur: mirandum ergo non est, si in altera homo simpliciter, & in altera personaliter supponat, ut ut idem utrobique significet.

27 Ad tertium respondeo, eam diuisionem suppositionis in simplicem, & personalem esse subdiuisionem suppositionis communis, ut nuper perstrictum: quamuis enim id negent Sotus, & Hurtadus, at affirmant veteres plerique dialectici cum Petro Hispano, & post eos Toletus, & Fonseca locis superius citatis: colligi autem perspicue potest ex ipso vocum ethymo: nam simpliciter, eius particula vim si spectes, perinde multoties est, ac secundum se, & præcisè: meritò igitur dicitur terminus aliquis supponere simpliciter, cum sumitur prout præcisus à suis inferioribus, quæ mediate ac materialiter importat; ita vero sumi potest duntaxat terminus communis

K

munis